



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. De Confessionis præcepto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066




EXAMEN XII.

De Legibus in particulari, circa præceptum
secundum & tertium Ecclesiæ de
annua Confessione, &
Communione.

CAPVT PRIMVM.

De Confessionis Præcepto.

1.  *Quotuplex Confessionis Præceptum? Duplex, & diu-*
inum, & Ecclesiasticum. Confessionis enim præcep-
tum de iure diuino positum in noua lege a
Christo latum est; cum eius necessitatem in sola

Sacerdotum absoluendi à peccatis potestate conclusit: ideo-
que nec in eo dispensare, neque illud abrogare potest Eccle-
sia. Posset tamen Confessionis præceptum ipsa proferre etiam
si à Christo non fuisset impositum, à Christo tamen eius in-
stitutione supposita.

2. *Quinam ad præceptum diuinum Confessionis obligantur?*
Fideles omnes adulti, qui recepto baptismo lethally deli-
querunt: infideles, & infantes, quique rationis capaces non
sunt, minimè.

3. *Quodnam obligationis tempus?* Vt minimum articulus
mortis esset, si paulo antè non esset impletum. Scio probabi-
liter defendi obligare quarto vel quinto quoque anno, nisi
iam ab Ecclesia annua confessio esset imperata. At probabi-
lius cum Filiucio & aliis assero, nisi determinaret Ecclesia
ad solum mortis articulum eius obligationem pertinere. Per
accidens autem tum Eucharistiæ susceptio tum indulgen-
tiæ acquisitio, quæ confessionem exigeret, tum votum, gra-
uissimè tentatio, quæ alia ratione tolli non posset, obligatio-
nem induceret.

4. *Impletur ne præceptum hoc per Confessionem quocumque
modo nullam?* Minimè, at bene per validam, licet informem,
quia hæc confessio est, illa nequaquam.

5. *Quidnam de Ecclesiastico præcepto?* Additum est quidem
Ecclesiasticum præceptum obligans ad confessionem semel
in anno, quo diuinum determinatum est ad certum tempus;
vnde

vnde quatenus à diuino iure pendet, abrogari non potest: vt verò ab Ecclesijs prorogari tempus, vel restringi possit, ita omnino etiam tolli iusta de causa, quæ tamen vix dari possit, remanente semper obligatione ex iure diuino.

6. *Obligat ne in anni parte determinata? Vi sua non obligat, v.g. Paschate: consuetudine tamen, & ob commoditatem ratione Eucharistiæ eo tempore sumendæ inductum est, vt eo tempore fideles ferè omnes confiteantur. Porro annus computatur à Quadragesima in Quadragesimam, & annus Ecclesiasticus nominatur.*

7. *Eo tempore non impleri, absoluitur ne obligatione? Probabile est expectare te posse vsque in alteram Quadragesimam sine nouo peccato: probabilius tamen; quod primo quoque tempore teneas. Num ita qui confessus quidem est, sed aliquod peccatum omisit, aut ex obliuione, aut alia rationabili de causa? Minimè; potest enim ad sequentem annum vsque differre. Quid si prouideatur fore, vt occasione illa omissa toto anno non possim confiteri? Debes eiusmodi tempus prouenire*

8. *Quanam causa ab impletione præcepti excusant? Primò impotentia tum physica, quia confessoris copia non sit: tum moralis, quia sine graui nocumento famæ, vel alterius boni non possit: quæ causæ etiam valent in excusando à præcepto diuino; modò damnationis morale periculum non adsit. Necessitas confitendi per interpretem excusat ab Ecclesiastico præcepto, & etiam à diuino, licet articulus mortis subesset; si tamen probabilem existimationem haberes te non esse contritum, vt eo medio iustificari posses, obligaberis. Quod multò magis de Confessione per Scripturam, quando aliter quis non posset, affirmo; teneretur enim saltem in articulo mortis ea ratione confiteri, cum præsertim manifestationis periculum, adhibita diligentia, caueri facile possit.*

9. *Satisfacit ne præcepto Ecclesiæ informi confessione? Ita equidem, vt proximè de præcepto diuino affirmati.*

10. *Quinam obligantur? Fideles omnes cum ad vsum rationis peruenerint. Num Papa? Quo ad vim directiuam, maximè; vt autem iure diuino obligat, etiam Papam comprehendit & alios.*

11. *Num ulla transgresseribus pœna? Nulla posita, quæ ipso facto incurritur, sed iubentur tantum ab Ecclesiæ ingressu & ab Ecclesiastica sepultura repelli.*